



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1415. usque ad annum 1431

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1768

VD18 90118294

§. 38. Bulla cessionis a Gregorio XII. Papa ad Synodum missa.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66272](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66272)

Sæcul. XV.
A. C. 1415.

§. XXXVII.

*Commissarii ad formanda iudicii acta
dati.*

Igitur duo Commissarii & quinque Prælati Pontificem ternis vicibus ad valvas Ecclesiæ citare jubentur, cum vero nemo compareret, erecto citationis factæ instrumento publico, viginti tres nominantur Commissarii, qui testes audirent, exceptisque eorum juramentis, tandem ad conficienda iudicii acta procederent.

§. XXXVIII.

*Bulla cessionis a Gregorio Papa ad
Synodum missa.*

Citatione facta, quantocius Imperator convocatis Nationum Deputatis exhibuit epistolam Caroli de Malatestis, Ariminensis Toparchæ, die vigesima sexta Aprilis datam, & Nationibus inscriptam, cui adjecta erat Gregorii XII. Bulla, qua Pontifex iste Nobili huic Viro potestatem concessit, suo nomine Papatum dimittendi, & Constantiensis Concilii placitis adherendi. Hæc Bulla directæ erat ad Cardinalem Ragusinum, necnon ad Patriarcham Constantinopolitanum, Archiepiscopum Trevirensis, Electorem Palatinum, necnon ad Carolum de Malatestis, cui

cui Papa insuper delegavit plenam potestatem hoc Concilium tanquam legitimum agnoscendi, & ut Oecumenicum declarandi, non quidem in quantum esset a Balthasare Cossa, qui se Joannem XXIII. nominari facit, sed ab Imperatore convocatum(*) quibus hanc etiam subjecit conditionem, ut idem Balthasar in Synodo Præsidis vices non ageret, imo nequidem præsens adesset. Quibus sub conditionibus, & non aliis plenam illis ea omnia exequendi concessit auctoritatem, quæ ad promovendam unionem expedire judicassent. Imperator hanc Bullam Deputatorum examini reliquit, eo fine, ut si forte vitiosa, vel minus sufficiens foret, eam Carolo de Malatestis secundum Synodi judicium corrigendam remittere posset.

Sæcul. XV.
A.C. 1415.

§. XXXIX.

Conventus Commissariorum ad examinandos testes contra Joannem.

Eadem die Cardinales, quibus a Synodo datum erat negotium, ut testium

(*) In Bulla Gregorii hæc verba adjecta leguntur: *VICE NOSTRA* ad prædictorum effectum convocandi & authorizandi generale Concilium; *Vide Acta Conc. Const. Sessione XIV.*